

Epochæ motus Argumentorum II. III. & IV. quæ correctionem indicant perturbationum Telluris à Jove, Venere, & Luna oriundarum, sunt differentia inter motum Solis medium, & motum pariter medium horum Planetarum.

Tabula III. Exhibet ipsam Obliquitatem apparentem Eclipticæ pro singulis trimestribus annorum singulorum, supposuit autem *Caillius* Epocham mediæ obliquitatis per nutationem axis terrestris correctam ad annum 1750. $23^{\circ} 28' 19''$. 0. prout eam è collata multiplici observatione deduxit.

Tabula IV. Eosdem quos nunc exposuimus motus exhibet in annis completis, qui deserviunt usui Tabularum ultra annum 1800. extendendarum.

Tabula V. Complectitur eosdem motus in singulos dies, Tab. VI. in singulas horas, minuta, & secunda, omnes hi motus in ipsis decimis secundorum ad majorem præcisionem exhibentur.

Tabula VII. Non est *Caillii*, sed mea, cujus ope Epochæ *Caillianæ* reducuntur ad meridianum quemvis in hac Tabula expressum, qua Reductione adhibita usus harum Tabularum evadit cuiusvis meridiano proprius, tanquam eæ forent pro eodem Meridiano compositæ; differentia autem horum Meridianorum à Parisino pleræque sunt eadem, quæ habentur in Ephemeridibus D. de la Lande *Connoissance des mouvemens Cælestes Anni 1764*.

Tabula VIII. Exhibet Æquationem centri Solis ad singulos Anomalix mediæ gradus, *Caillius* fusiorem edidit ad singula nempe dena minuta prima, usus tamen ad solos gradus reductæ æque præcisus est, licet non æque commodus ob majores in proportione terminos. Æquatio centri Solis maxima *Caillio* est $1^{\circ} 55' 31''$. 6. eadem prope, quæ *Mayero* scilicet $1^{\circ} 55' 30''$. major solum $1''$. 6. sed eadem minor est *Cassinianâ* $18''$. est enim maxima *Cassino*, $1^{\circ} 55' 50''$.